

5. Quorum omnium eum fuisse finem atq; scopum primarium constat, ut Ecclesia verum scripturarum intellectum contra ingruentes hæreses, hac ratione muniret ac confirmaret.

6. Quò superioribus etiam annis, respiciens Ecclesia, multis antè seculis sub Babylonicâ Romani Antichristi captivitate miserè divexata, ac tenebris plusquàm Cimmerijs obscurata; per ministrum verò Megalandri LUTHERI beatissimæ memoriæ, sic divinâ ordinante providentiâ, ad pristinam lucis Evangelicæ puritatem paulatim aspirans; suo jure usa, imo à summo Magistratu jussa, certam fidei suæ confessionem scripto comprehensam, invictissimo Imperatori Carolo V. exhibere voluit; quâ tum à pontificiorum tum Zuinglianorum sive Sacramentariorum, tum quorumvis aliorum hæreticorum, tam prischorum, quàm recentiorum falsis dogmatis discessum & divortium sese facere, publicè declararet.

Confessio-
nis Augu-
stanæ scri-
bendæ im-
pellens.

7. Quæ confessio cum in celeberrimis illis Imperij comitijs, Augustæ Vindelicorum Anno 1530. celebratis, sit exhibita, ibidemq; auscultante Cesare Carolo V. invictissimo, Ferdinando Romanorum Rege assidente, Electoribus, Principibus, Ordinibus S. Romani Imperij penè omnibus presentibus, die 15. Junij, publicè recitata & prælecta fuerit: Factum ut à loco, quo istæ hæc gesta sunt, Augustana appellaretur, & vel

Confessio
Augustana
nomen ha-
bet à loco
quo Impe-
ratori exhi-
bita.